



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Annotationes Ioannis Bugenhagij Pomerani in decem epistolas Pauli**

**Bugenhagen, Johannes**

**Basileae, 1524**

**VD16 B 9232**

Argumentvm.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36165**

# IN POSTE

RIOREM EPISTOLAM PAULI

ad Thessalonicenses Annotationes Io-  
annis Bugenhagij Pomerani.

## ARGUMENTVM.



*Vrsum collaudat in fide constantes,  
& charitate abundātes, quod nullis  
aduersis ab isto proposito deijci po-  
tuerint: sicut et in .i. episto. uidimus.  
Est enim fidei probatio, si perstes in  
tentationibus. Loci uero in hac epistola insignio-  
res sunt. Primus cap. 1. quod in persecutione Christi-  
anorum declaratur iustum dei iudicium, quod hi digni  
habeantur regno, persecutores uero supplicio. Vtrum-  
que iudicium norūt etiam nunc Christiani per fidem,  
sed reuelabitur in aduentu Christi. Secundus, cap. 2.  
de regno Antichristi non futuro, sed reuelando, ubi  
mysterium iniquitatis, quod etiam Paulo ista scriben-  
te operabatur, detegi cœperit, quando interficietur il-  
le impius in consciētis hominum, spiritu oris Christi,  
id est Euangelio sancto: nō tamē penitus peribit apud  
omnes, donec destruat illum dominus claritate aduen-  
tus sui. Hic uero interseritur tertius locus memoratu*

IN EPI. PAULI AD THES. II. 63

dignissimus, quod scilicet oportet eos seduci signis  
medacibus, & efficaciter decipi, errare & labi: id est,  
credere mendacio, qui dilectionem ueritatis non rece-  
perunt, ut salui fieret: quod iudicium tanto magis hor-  
rendum; quanto minus uidetur. Quartus locus cap. 3.  
est excommunicatio illorum, qui prætectu religionis  
aliorum labore uictitare quærunt.

CAPVT I.

Augescit, &c.

**F**ides sola cum deo agit, & cum deo nos coniun-  
git. Opera uero fidei, id est charitas, proximo  
seruiūt gratis, nulla meriti habita ratione, sicut Chri-  
stus seruiuit nobis. Augescit uero dicit, & exuberat  
quod hæc semper crescant (ita omnia iudicate ex uer-  
bo dei) prouehente nos spiritu, ut nemo possit glo-  
riari se iam adsecutum, ut dictum est in epistola ad  
Philippenses.

Adeò ut & nos ipsi de uobis  
gloriamur in ecclesiis dei.

*Profectus ouium gloria est pastoris. Cur ergo hoc  
agit Paulus, qui alibi dicit, Qui gloriatur, in domino  
glorietur? Respondeo: Nunquam gloriari Paulū, nisi  
in domino. Hic autem duplici ratione in domino glori-  
atur. Primū collaudans dei misericordiam, & spiritus.*